

De Negligentia Advocatorum.

SUMMARI A.

- 1 **A**dvocati dicuntur, Patres Patriæ, & inter Nobiles numerantur.
- 2 Tenentur de Negligentia, quæ importet dolum, & latam culpam.
- 3 Advocati negligentes, carpuntur à Cicerone.
- 4 Advocatus, non tenetur de negligentia, si Clientis non ei debitum propinet honorarium.
- 5 Advocatus à Judice pari assignatus pro cause defensione, recusans debet carere foro.
- 6 Limita primo, si Advocatus justam habeat excusationem.
- 7 Limita secundò, si Clientis habeat alium advocatum idoneum.
- 8 Advocatus omittens defendere causam, ita ut Clientis, ex eo adversam patiatur sententiam, meretur puniri; ita si negligeret ad protrahendam litem, & teneretur ad inter esse parti.
- 9 Sententia adversa, ex tali negligentia emanata, non esset ipso Jure nulla, subveniendum tamen, ope restitutionis in integrum.
- 10 Subtrahens advocatum parti, aut scripturas, præsumitur fovere malam causam.
- 11 Advocatus, qui Visis scripturis, & habitis informationibus, si cognoscat certò clientem non fovere bonum Jus, recusando ejus defensionem, non est negligens, non tamen poterit, & inde partem adversam instruere, nec pro ea advocare, nisi Clientis arte, & dolo ad eum Confugisset, ut eum subtraheret parti, & præjudicaret in lucro.
- 12 Tenetur pro paupere patrocinari, etiam si nõ habeat spem lucri.
- 13 Limita, si advocatus esset adeò pauper, ut necesse haberet sibi, & familiae consulere, ut ei non superesset tempus advocandi, pro paupere.
- 14 Non debent Advocati, negligere vestes, & habitus suæ conditioni, & honestati decentes, ne contemnantur.
- 15 Advocatus negligens comparere ad Judicium hora indicta, sicut pars adversa probare cogatur, non culpatur, si ut adversarium fatiget, culpam incurrit, & tenetur parti ad interesse.
- 16 Sicuti peccant graviter advocati, Consilarii, procuratores, & alii, qui aut omissionibus, aut consiliis curant protrahere causam, ad effectum inducendi adversarium ad transigendum, & tenentur ad damna, & interesse parti.
- 17 An, si ex negligentia, vel imperitia Advocati, in causa sanguinis, Reus damnetur ad mortem, ipse Advocatus fiat irregularis, remissione.
- 18 Clericus in Jure peritus, recusans advocare pro Laico, & in Foro Laicali non est negligens.
- 19 Abbas, & Superior Religionis, tenetur pro suo Monasterio advocare, dum alius non sit idoneus, alias incurreret Culpam negligentia.
- 20 Valet Argumentum à milite, qui tenetur Castrum defendere, cujus custodiam suscepit, ad Abbatem, qui custodiam Conventus suscepit.
- 21 Superior Monasterii, si excommunicatus notorius non potest pro Monasterio advocare, secus si occultus.
- 22 Advocatus fiscalis S. Offitii, tenetur diligentissimè defendere Jurisdictionem Tribunalis S. Offitii.
- 23 Assignandus est Advocatus, in Sancto Offitio pro defensione reorum, etiam si reus renunciaret termino defensionum, sibi assignato.
- 24 Limita in delicto notorio.
- 25 Notorium dicitur, quod nulla tergiversatione cæleri potest.
- 26 Judex ipse tenetur diligenter inquirere, quæ pro veritate facti possunt investigari.

ARTICULUS II.

De Negligentia Advocatorum.



- A**dvocati, qui Patres Patriæ dicuntur, & peritiori labore, ac studio multum pro publica, & Reipublicæ utilitate, insudant, meritò inter nobiles adscribuntur, clauo *tex. in l. providendum C. de Postulando*, & erudito calamo notavit *Tiraquell. de nobilitate cap. 29. à principio*, & precipue *n. 12.*, *Joan. Garzias de nobilit. glos. 35. nu. 6. cum seqq.*, non tamen sunt Immunes à culpa negligentia, si omitant ea, quæ necessaria, & utilia noverint, ad defensionem suorum clientum, itaut, si propter talem negligentiam, cliens succumbat in Judicio, ipse advocatus teneatur parti ad interesse, *Speculator lib. 1. sub tit. de Advocato §. 9. sub. n. 17.*, *Trulench. ad decalo. tom. 1. lib. 8. c. 5. dub. 3. num. 2.*, quod saltem pro foro conscientia; habere locum dixit *Valerus de differentiis utriusque Fori in Vers. obligatio differentia 3.*
- De qua autem negligentia, & culpa teneatur; dicas de dolo, & lata culpa, dum fuerit requisitus, si verò non requisitus, se obtulit ad patrocinandum, tenetur etiam de levi ad tradita per *Sylvestrum Vers. Culpa quest. 4.*, *Valerum dicto tract. in Vers. damn. n. 7. Vers. Prædictam autem; Azor. p. 3. lib. 13. c. 29. V. dubium quintum.*
- Undè Cicero, referente *Amiano Marcelino lib. 30.*, arguebat advocatos sui temporis, per hæc verba (*non defendi homines sine vituperatione fortassis posse, negligenter defendi, sine scelere non posse*) ex quo dicto credit Cicero, minus malum non suscipere clientuli defensionem, quam susceptam, negligenter pertractare.
- Quod autem diximus, advocatum negligentem culpari, & teneri parti ad interesse; limita si cliens non solveret debitum honorarium advocato, non enim tenetur gratis laborare, sublata obligatione, non est locus negligentia; quæ (ex dictis in prima parte) est ommissio ejus, quod quis facere debet, & potest. *Postbius de Manutene. observ. 81. num. 31.*
- Si autem contingeret, quod Judex ex suo

- officio, parti assignaret Advocatum, & hic recusaret impertiri officium suum, meretur carere foro, juxta *tex. in l. providendum C. de Postulando*, ubi *Barbosa num. 7.*, & *c. Infames §. si quis vero monitus 3. quest. 7.*, *Missinger Centuria 4. observat. 32.*, *Gail. lib. primo observat. 40. sub num. 1.*, *Gratian. dissect. c. 36. num. 22.*, *Borell. summa decis. tom. 1. tit. 65. num. 43. ad tex. in l. qui necessario*, ubi *Barbosa*, & plures per eum allegati, *num. 2.*, & *4. C. de advoc. divers. Judic.*; Ided cogi potest. *Postbius de Manutene. observat. 81. num. 31.*, *Conciol. resol. crimin. Vers. Advocatus resol.*
- Quod limita primò, si advocatus haberet justam, excusationis, causam, quia data justa excusatione, cessat negligentia, justa autem excusatio esset, si patrocinandum esset contra sibi conjunctos, vel amicos, vel patriam, vel alios, à quibus soleret salarium recipere, vel quibus suum patrocinium, præventivè promississet, ex adductis per *Borell. loco supra num. 44.*, vel contra dominum, si Vassalus, *Speculator lib. 1. tit. de advocato num. 30.*
- Limita secundò, si pars, cui assignatus fuit advocatus, habeat alium advocatum idoneum, & sufficientem, à quo valeat tueri, & patrocinari, quia tunc tantum tenetur, quando tutela, & patrocinium esset necessarium, cessante autem necessitate, cessat obligatio, & cessante obligatione, cessat negligentia adnotata per *Vivium com. opin. lib. 2. opin. 6. num. 19. Vers. sed idem advocatus*, & post eum *Barbosa in l. Sancimus num. 5. C. de Advocat. divers. judic.*
- Advocatus scienter aliquid omittens, propter quod cliens perdit causam, debet puniri juxta *tex. in l. si patronum C. de advoc. divers. Judic.*, vel omittens ex industria, ea quæ facerent ad celerem expeditionem causæ, ut protracta lite producatur Salarium, esset negligentia culpandus, ac puniri mereretur, *ad tex. in l. Quisquis vult*, ubi *Barbosa num. 7.*, & *10. C. de Postolan.* poena autem esset arbitraria, & teneretur
- O ad in,

- ad interesse parti, *Sylveſter in V. Advocatus sub num. 16.*
- 9 Proponit Tiraquell. quæſtionem in tract. de panis temperandis causa 44. num. 37., an ſententia lata contra clientem, ex causa talis omiſſionis, & negligentia, ſit ipſo jure nulla, & ratio dubitandi eſt, quia ſi advocatus delinquat in committendo, puta revelando parti adverſæ ſecreta cauſæ, & illa inſtruendo, quo caſu ſententia eſt ipſo jure nulla, & executionem nõ meretur adtex. in l. ſi patronum, ubi *Barboſa n. 4. C. de Advocatis diverſ. Judic.*, attamen reſpondit Tiraquell. valere mero Jure; ſubveniendum tamen eſſe remedio reſtitutionis in integrum argumento tex. in l. minor autem §. 1. ff. de minor., ratio differentia erit, quia delicta in committendo, graviora ſunt, & magis noxia, quàm in omittendo; ideòque delictum advocati in, committendo, magis influunt in ſententiam, in pœnam cujus majoris influxus, etiam ex conſenſu, & cooperatione partis adverſæ, ſententia redditur ipſo jure nulla.
- 10 Sicuti, ſi quis ſubtraheret parti adverſæ advocatum, ſcripturas &c., quia delinqueret committendo, præſumitur fovere malam cauſam, & meretur contra ſe pronunciari c. infames §. ſi quis autem 3. q. 7., *Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 911. lib. 10., Maſcard. de probat. concl. 274. num. 1., Barboſa in d. l. Providendum num. 9. ff. de poſtul.*, quia advocatum denegare, eſt magnam partem deſenſionis tollere l. Advocati C. de Advoc. diverſ. Judic., *Oſaſch. de cif. Pedemont. 1. num. 13., Poſtius de Manutenen. obſervat. 102. num. 10.*
- 11 Non autem incurreret Advocatus, notam negligentia, ſi omitteret defendere clientem, ex quo viderit, non fovere bonum Jus, viſis ſcripturis, receptisque informationibus facti, quia tunc haberet juſtam cauſam recuſandi, *Mantica deciſ. 187. num. 1., & 2., & deciſ. 329. num. 6.,* dumodò partem adverſam non inſtruat, aliàs culpam incurreret infidelitatis, *Menoch. de arbitr. Judicium caſu 323. in fine,* quæ nota infidelitatis, ceſſaret, ſi pars, quæ ei exhibuit ſcripturas videndas, aut factum narravit, expreſſè nolet ſibi patrocinari, ſed relinqueret ei liberum parti, adverſæ patrocinari, vel ſi recuſaret ſolvere ſalarium, tunc advocatus prævia proteſtatione parti habita, poterit pro adverſario advocare ne detur
- locus artificioſæ machinationi, ſubtrahendi advocatum parti adverſæ, & præjudicandi ſimul advocato in lucro, quod poſſet ab altera parte, pro ea patrocinando reportare, ad notata per *Barboſam in d. l. ſi Patronum sub num. 5. propè finem C. de advoc. diverſ. Judic.*, & in l. cum te C. de Advocatis Fiſci num. 3.
- 12 Gravior negligentia culpa eſſet, in Advocato, qui recuſaret Patrocinari cauſam Pauperis, ex eo quia non haberet unde mercedem ſolveret, itaut adverſam patretur ſententiam, pauper, ex causa talis omiſſionis, eo modo quo dives culparetur non dando elemoſinam extremè indigenti, ad tex. in C. Tria ſunt diſt. 45., *Azor. p. 2. lib. 12. c. 8. Verſ. ex his perſpicitur,* & p. 3. lib. 12. c. 29. *Verſ. dubium ſertum;* Undè ad menſurandum gravitatem culpæ advocati, procedendum eſt à pari, ideſt ex majori, vel minori indigentia pauperis poſcentis, elemoſinam, & poſtulantis Advocati patrociniũ; ad allegata per *Sylveſtrum in Verſic Advocatus sub num. xi. ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 71. art. 1.,* undè ſicuti non paſcens eſurientem, in extrema neceſſitate peccat, ac ſi occidiſſet, ad tex. in c. paſce diſt. 86., ubi *divus Ambroſius ait, ſi non pauſiſti occidit ſi;* ita Advocatus peccabit mortaliter, ſi negligat defendere pauperem in extrema, ſeu graviffima neceſſitate, quæ erit, ſi non ſit alius advocatus, qui eum defendat, & ex tali omiſſione, periclitetur in re ſatis gravi, attenta pauperis conditione, & ſtatu, *Trulench. ad decalog. tom. 2. lib. 8. c. 5. dub. 2.,* ideò in c. Pauper xi. q. 3., dicitur, non eſſe permittendum, Juſtitiam pauperum perire, ex quò non habent quid offerant.
- 13 Quod tamen limitat *Sylveſter loco citato;* niſi, & ipſe advocatus eſſet aded pauper ut oporteret pro ſe operari, ut ſuis, & familiae alimentis, conſuleret, vel ei recedendum eſſet a loco Judicii, pro ſuis urgentioribus neceſſitatibus; quia tunc ordinata charitas expoſcit, ut ſibi primò conſulatur, *D. Auguſtinus relat. in c. Qui vult depenit. diſt. 3., Felin. in c. 1. de offic. ordin. gloſ. in c. Quieſcamus diſt. 42. in V. Poſtulas, Jaſon. in l. Eum qui res col. ult. C. de procur. ac propterea Cornelius à lapide in Epist. D. Pauli ad Filipenſes c. 2. ad verſ. 4. (Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum) hæc habet. Nota hic, ſignificare com-*

- comparationem, non enim quin quiſque ſuum etiam comòdum quærere poſſit; hoc enim exigit charitas ordinata, ut quiſque magis ſe, ſuaquè comòda, maximè ſpiritualia diligit, quam aliena, ſed ſignificat, non ita avarè quærenda eſſe comòda noſtra, ut negligamus aliena.
- 14 Olim non licebat Advocato, accedere ad poſtulandum coram Judice, qui non eſſet talari toga, veſte condigna, ornatus, undè omiſſa veſte talari, quaſi neglexiſſet officium, contemnebatur ad allegata per *ſpeculatorum lib. 1. præſt. 4. de Advocato §. 1.,* ubi ſequentia ponit carmina,
*Vir bene veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus
 Creditur à mille, quamvis ſtota ſit ille,
 Sicutat Veſte, nec ſit veſtitus honeſtè,
 Nullus es laudis, quamvis ſcis omne, quod
 audis.*
- ex quibus colligitur, quòd in facie vulgi, qui ex aſpectu movetur, Veſtis talaris, & valdè honeſta, ſumitur pro argumento multæ peritiæ, ſicuti, & qui vult ſibi in domus Regum patere ingreſſum, oportet ut mollibus veſtiatur; juxta illud *Matthæi xi. qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt,* tum quia, ſi ſacerdotes dicuntur; veſte talari convenit honeſtari; non ergo debent advocati negligere habitus, & veſtis, honeſtatem, gravitatem, & ornatum, nam ſi ſunt Patres Patriæ, debent ſenatoria veſte decorari, nam veſtis compoſitio, & mentis compoſitionem, ac honeſtatem demonſtrat.
- 15 Quia reorum eſt fugere, ut dicitur in l. Properandum §. & ſiquidem C. de Judic., ideò hic quærendum eſt, utrum fugiendo, Advocatus Rei ſit negligens, puta, non reſpondendo citationibus, inſtantibus, petitionibus actoris, vel citatus ad comparendum, ſi compareat quidem, ſed tardè, ut in fine diei, vel horæ, pro qua reuserat citatus, quaſi hac cunctatione, & negligentia adverſarium fatiget, ut tædio affectus à loco tribunalis recedat, & tunc Reus, atque ejus Advocatus, veniat, ut ex aliquorum ſenſu videtur indicare *ſpeculator lib. 1. part. 4. de Advocato §. octavo sub num. 2.,* & hoc modo, vel abſolutionem impetret per abſentiam actoris, vel judicem inclinet ad præſumendum pro Reo de bono Jure. Solutio erit, quòd ſi fugiat, ad effectum, ut actor cogatur probare, hoc quidem licet,
- quia actore non probante, reus abſolvitur, ex latè allegatis per *Barboſam de axiomat. Jur. axiomat. x. num. 2.,* & in hoc caſu, non eſt negligens, ſicuti ſi fugeret ad effectum, ut ex temporis beneficio, poſſit ſuas exceptiones, & deſenſiones invenire, hoc pariter licet, neque ullam negligentia culpam incurrit.
- At ſi fugiat, quia bonum Jus non fovet, tunc negligentia culpatur, hinc eſt quòd ex nimia fuga, contra eum oriatur præſumptio ac propterea in c. declaravimus 3. quæſt. 9., dicitur, *ſi verò adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia, non lucretur;* & in c. *Chriſtianis xi. quæſt. 1. dicitur, Qui Judicium refugit apparet eum de juſtitia diſſum c. Nullus de præſumpt.,* ubi quòd fugiens Reus, ita præſumitur non fovere bonum Jus, ut negligendo, & fugiendo interpretativè cenſetur actorem, contra ſe bonum Jus fovere, eaque conſiteri contra ſe, & tenebitur parti ad interesse, & ad damna ad allegata per *Trulench. ad decalog. tom. 2. lib. 8. c. 5. dub. 3. num. 2., & ſeqq.*
- 16 Hinc eſt, quòd Advocatus negligens reſpondere, ad juditium artificioſè protelandum, ut ſic inducat alteram partem ad compoſitionem, certò advocati, & quicumque alii, vel conſiliarii, vel procuratores, hac induſtria negligentia utentes, & multo magis ſi poſitivis reſponſionibus utantur, peccant graviter, & tenentur reparare damna, & interesse parti: *Navara Manual. c. 25. num. 28., Leſſus de Juſt. & Jur. lib. 2. c. 31. num. 49., Bonacin. tom. 2. diſp. 10. q. 3. pu. 4. num. 5., Trulench. ad decalog. tom. 2. lib. 8. c. 5. dub. 3. nu. 3. in fine.*
- 17 Advocatus in cauſa ſanguinis pro reo, ſi contingat ex ejus negligentia, reum damnari ad mortem, vel ad Membri obtruncationem, tangit *Farinacius in fragmentis criminalibus littera C. num. 395.,* & concludit fieri irregularem, etiam ſi propter imperitiam Advocati reus morti tradatur, quia ſeu per imperitiam, ſeu per negligentiam, ſemper influunt in mortem, dum ex deſenſionis defectu, damnatur, & defectus deſenſionis, provenit ex imperitia, vel negligentia advocati, quæ ſententia habet multos, & inſignes aſſertores; verum recolenda ſunt, quæ dixi in prima parte art. 15. ubi quæſivi an ex influxu merè negativo incurratur cenſura Eccleſiaſtica.

- 18 Clericus in Jure peritus, si recuset advocare pro laico, & in foro laicali, non potest dici negligens, quia ad id non tenetur, & forsan non liceret, ad allegata per Bellet. *disquisit. Clerical. rubrica de disciplina clericali* §. 27. nu. 11., quod tamen in Urbe non habet locum, tum propter approbationem tacitam Pontificis, tum quia licet Tribunalia sint pro causis laicis, tamen omnes Judices, Clerici sunt, & causæ beneficiales, atque Ecclesiasticæ coram eis permixtî tractantur, non repugnaret tamen clerico advocare pro laicis, & in foro laicali in camera, ubi cessat strepitus litigantium.
- 19 Abbates, pro necessitate, & Utilitate sui Monasterii, omnesque alii conventuum, & religionum Superiores, si alius non reperiatur idoneus, tenentur advocati munus, & officium subire, & negligendo, ac recusando graviter culpantur, quia tenentur utilia facere, tamquam boni familiarum Patres, & necessitatibus consulere; neque alterius superioris requireretur facultas, quia sicuti potest Abbas, & superior Monacho, & Religioso sibi subdito hoc officium committere, ita, & potest hæc munera ipse subire, ad *tex. in can. Monachi* il. 2. 16. q. 1., cap. 2. de *Postulando*, *Clement. Religiosus de procur.*, *Azor. Instit. Moral. p. 1. lib. 12. cap. 11. quæst. 9.*, *Sanchez. ad decalog. lib. 6. cap. 13. n. 18.*, *Tamburin. de Jure Abbatum disp. 17. q. 5. tom. 3.*, ubi sub num. 2. bene notat, quod posset etiam pro laicis extraneis patrocinium suscipere, si inde magna Monasterii Utilitas sequeretur, ut si essent singulares benefactores, vel futuros sperarent.
- 20 Hinc est, quod Valeat argumentum, à milite ad Advocatum, quod sicuti miles tenetur pugnare ad Utilitatem, & necessitatem Patriæ, & Principis, cujus stipendia recipit, & si officium suscepit, ut Custodis Castri, Fortilicii &c., teneretur pro Viribus ad ejusdem defensionem, ita, & Superiores Religionum, nam illi, armis, isti, legibus, & doctrinis homines defendere dicuntur, ad *tex. in l. Advocati C. de Advocatis divers. Judic.*, *Cassaneus in Catalogo gloriæ Mundi p. 7. consid. 28.*, *Tiraquel. de nobilit. cap. 29. à num. 11.*, *Jo. Garzias de nobilit. glos. 35. num. 10.*, *Borell. summa decis. tit. 65. num. 20. 21.*, *Sayr. Clavi Regia lib. 12. cap. 22.*

- 21 Proponit difficultatem *Ricciullus de Jure personar. extra Eccles.*, an Prælatu excommunicatus teneatur, vel possit pro suo Monasterio Advocare, & *lib. 4. cap. 26.* respondet, quod si sit excommunicatus publicè, vel notorius, nec tenetur, nec potest, si verò occultus, potest, & tenetur, quia ei permissum est agere, ad allegata per *Abbatem in cap. Veritatis sub num. 34. de dolo*, & *contumacia*, *Fellin. in cap. intelleximus sub nu. 3. Vers. 12. de claratio de Judic.*, in casu autem quo potest, tenetur defendere Jura sui Monasterii, & omittendo culparetur.
- 22 Advocatus fiscalis Sancti Officii, potest notari negligentia, si non tueatur Jurisdictionem Sancti Officii, seu Inquisitorum diligentissimè, ut notat *Carena de S. Officio p. 1. tit. 9. num. 27.*, nam cum hæc Jurisdictio, ejusque exercitium, non solum sit magnæ utilitatis in Ecclesia Dei, sed & necessitatis, nam ea vel sublata, vel debilitata, facile cuncta erroribus hæreticorum, & superstitionibus redundarent, hinc est quod teste *Sousa* agendo de *Origine Jurisdictionis, seu Tribunalis Sancti Officii in Regnis Lusitanie*, Summi Reges insteterunt pro Institutione tanti Tribunalis, ad extirpandos errores, quibus Veritas Catholicæ fidei deturpatur.
- 23 Inquisitor verò fidei, tenetur Reis processatis in Sancto officio, Advocatum assignare, alias denegando, & omittendo talem assignationem, læderet Jus naturæ, quod reis defensiones concedit. *Farinac. de hæreticis quæst. 185. §. 14. num. 226.*; non solum ad instantiam reorum, sed etiam ex officio, ad hoc ut præcisa veritas elucescat *Eymeric. 3. p. direct. rubr. de defens. reorum n. 117.*, quinimodò, & si Reus renuntiaret termino sibi assignato, pro defensionibus habendis, consulit tamen *Carena de Sancto officio p. 3. tit. 9. num. 93.*, quod prudentes Judices sinant labi terminum, pro defensionibus assignatum, nisi forte esset periculum in mora.
- 24 Non incurret tamen negligentia notam Inquisitor, & Quilibet Judex, si delictum sit notorium, potest enim tunc, nec Advocatum reorum admittere, nec terminum defensionis assignare, vel termini lapsum expectare, *Farinac. quæst. 39. num. 13.*, & *seqq.*, *Carena de Sancto Officio p. 3. tit. 9. num. 1.*

Dixi

- 25 Dixi (si sit notorium), & tunc est quando delictum, nulla tergiversatione possit celari *c. cum olim de Verbor. signific. cap. tuos de Cobabitatione clericor. cap. Evidentia de accusat.*; sed quia difficile satis est, quod nulla tergiversatione possit Celari, idè ponitur pro constanti, quod semper reo assignetur terminus defensionis, etiam contra propriam confessionem, quia adhuc aliqua tergiversatione celari potest *Guazim. ad defensam reor. defens. 29. cap. 4.*; *Conciol. resol. crimin. Vers. Defensio resol. 1.*; ratio autem est, quia ubi aliqua tergiversatione delictum celari potest, tunc non potest verificari,

quod probationes delicti sint luce meridiana clariores *l. sciant cuncti C. de probat. can. sciant Cuncti 2. q. ultima. Guazim. defens. 33. cap. 14.*, *Carena de Sancto Officio p. 3. tit. 1. num. 1.*, & *tit. 9. nu. 5.*, ubi quod etiam contra propriam confessionem potest Reus aliquid deducere.

26 Hinc est quod communissima sit DD. sententia, quod Judex ipse tenetur diligenter inquirere, quæ faciunt ad defensionem rei, ut sic veritatem detegat. *Farinac. q. 11. num. 10.*, *Scanavola de Visitatione carceratorum lib. 2. §. 10. num. 13.*, ubi plura.

Ad Articulum de Negligentia administratorum bonorum alienorum.

S U M M A R I A.

- 1 Administrator bonorum Communitatis, si negligens tenetur solum de dolo, & lata culpa, quoties sine lucro administrat; si verò cum lucro tenetur etiam de levi.
- 2 Negligens exigere Jura Communitatis in pœnam capi potest, & ab eo totum exigere.
- 3 Negligens administrator, tenetur ad damna, & interesse.
- 4 Punitur in simplum, & qui negligit notare distinctè omnia, est suspectus de dolo.
- 5 Primò limitatur, si administrator sit consanguineus, & administrat Jure sanguinis.
- 6 Secundò limitata, si bona sint pauca, & pauci valoris.
- 7 Tertio limitata, si administratori sit liberatio legata à testatore, quia tunc culpa levis censetur remissa, non verò lata, aut dolus.
- 8 Negligentes notare in libris administrata, adeò tenentur ad damna, & interesse, ut contra eos detur juramentum in litem.
- 9 Negligens, non gaudet beneficio præscriptionis statutarie annorum 15.
- 10 Tenentur conficere inventarium, si sint exequutores testamentarii.
- 11 Negligens implicare pecuniam in emptione rei fructifera, tenetur ad damna, & interesse lucri cessantis, & damni emergentis.
- 12 Successor in beneficio, an teneatur ad taxam
- Seminarii, non exacta à præcessore per negligentiam administratorum Jurium Seminarii.*
- 13 Plures afferuntur rationes, pro beneficiatis.
- 14 Plures afferuntur pro Seminario, usque ad numerum 29.
- 30 Solvuntur rationes pro beneficiatis allatae, & num. 31., 32.
- 33 Prius contra administratores negligentes, eorumque heredes agendum, quam contra successores in beneficio.
- 34 Negligens administrator tenetur, si nomina debitorum pereant, vel fiant deteriora.
- 35 Ex mala administratione, non infertur ad furtum.
- 36 Negligens in custodia librorum administrationis, si dicat eos amisisse, præsumitur occultasse, & contra eum datur juramentum in litem.
- 37 Si verò libri pereant casu fortuito, statur juramento administratoris.
- 38 Debet tamen administrator probare casum fortuitum evenisse, & amissionem, sine sua culpa.
- 39 Ut Tutor, vel alius administrator conveniatur de negligentia, ex quo non investit in re fructifera pecuniam, quam habebat investendam, oportet probare extitisse occasionem promptam investiendi.

ARTI.